



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.  
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam  
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118669**

§. 115. Cardinales conclave ingressi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)

inde ad Regem Sigismundum quos-<sup>Sæcul. XVI.</sup>  
dam decernunt, ut eidem exponerent, <sup>A.C. 1592.</sup>  
quod violenti ejusmodi insultus, de  
quibus questum venissent, non minus  
regiam dignitatem, quam tranquillitatem publicam violarent: quapropter Deputati Regi significare jubebantur, quod frequentiori numero Radomi convenire decrevissent, huicque conventui Lithuanica pariter Nobilitas accessura esset, proin Regem rogarent, ut Evangelicis denuo locus, in quo ad libere exercendos sectæ suæ ritus conveniant, Cracoviæ attribueretur, & Comitatus, in quibus pax Religionis constitueretur, primo quoque tempore indicantur. Hos delegatos non sine animi indignatione excepit Sigismundus, & amare increpuit, quod privata auctoritate contra Regni jura conventum instituisset hæretici, quocirca eis duntaxat permisit, ut cuivis sectam suam profitendi libertas esset, ac domus dirutas restaurare, ibique convenire cunctis liceret.

## §. CXV.

*Cardinales conclave ingressi.*

Interea Romæ de eligendo novo Pon-<sup>Thuan. l. 6.</sup>  
tificæ agebatur; eapropter Cardinales numero quinquaginta duo die decima Januarii Anno a partu Virginis mille-

Sæcul. XVI. millesimo quingentesimo nonagesimo  
A. C. 1592. secundo sacris comitiis initium fecere,  
 ubi Cardinali Sanseverino quamplurimi  
 favebant, ceterosque ad illius electio-  
 nem inducere nitebantur, unde etiam  
 altera die undecima ejusdem Mensis  
 palam a plurimis in Papam nominaba-  
 tur, nam partis Hispanicæ Cardinales  
 unacum Madrutio suorum principe, nec-  
 non Montaltus cum suis clientibus con-  
 festim Sanseverinum publico obsequio,  
 quod adorationem appellant, tanquam  
 Pontificem declarare decreverant, hinc  
 mox triginta tres Cardinales Sanseve-  
 rini cubile ingressi, eundemque velut  
 Papam salutantes eum ad Sacellum  
 Paulinum deducebant, ubi ejusdem  
 electio abs dubio confirmata fuisset, nisi  
 Cardinalis Ascanius Columna junior,  
 qui eodem errore inductus jam Sacel-  
 lum cum aliis ingressus erat, a Sfortia  
 monitus sese subduxisset, illum frustra  
 retinere conantibus Henrico Cajetano,  
 & Hieronymo Matthæo Cardinalibus.

## §. CXVI.

*Sanseverini electio variis modis  
 præpedita.*

*Th. l. 103.* Pariter Cardinali Sfortiæ sese conjun-  
*Spond. n. 1.* xit Columna, qui de oppositæ par-  
 tis vi, atque injuria coram suis Sociis  
 tam alta voce querebatur, ut etiam a  
 cunctis